Σὺν τῷ Θεῷ ἰατρῷ χριςῷ

HECTICES Natura & Curatio

DISSERTATIONE INAUGURALI

deſcripta,

&

JEHOVA CLEMENTER ADJUVANTE

CONSENSU ET DECRETO GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ IN ANTIQUISSIMA ELECTORALI QUÆ AD NICRUM EST HEIDELBERGENSI UNIVERSITATE

PRÆSIDE

Viro Nobiliſſimo, Ampliſſimo, Excellentiſſimo, atque Experientiſſimo

DN. GEORGIO FRANCO,

MED. ET PHIL. D. ET P. P. ORD. ACAD. S. R. I. NATURÆ CURIOSORUM COLLEGA; PATRONO AC PRÆCEPTORE SUO MAXIME SUSPICIENDO,

PRO LICENTIA

Summos in Arte Medica Honores ac Privilegia Doctoralia ritè & legitimè obtinendi,

Publico Eruditorum Examini

propoſita

ab

HEINRICO WEIPERTO SEIPIO,

DARMSTADIENSI.

Ad Diem Octobr. M DC LXXIX.

è Chalcographeo SAMUELIS AMMONII, ACAD. HEIDELB. Typogr.

SERENISSIMÆ AC CELSISSIMÆ PRINCIPI AC DOMINÆ,

DN. ELISABETHÆ DOROTHEÆ,

HASSIÆ LANDGRAVIÆ

PRINCIPI HERSFELDIÆ; NATÆ DUCI SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, AC MONTIUM &c. &c. COMITI IN CATTIMELIBOCO, DECIA ZIEGENHAINA, NIDDA, SCHAUENBURGO, YSENBURGO ET BUDINGA, &c. &c.

VIDUÆ, TUTRICI, ET SUMMA SCEPTRA TENENTI, PRINCIPI AC DOMINÆ SUÆ CLEMENTISSIMÆ,

HANC INAUGURALEM

humillimè

D. D. D.

AUTOR

L. B. S. P.

——— *peragit tranquilla poteſtas*
Quod violenta nequit. ———

NOn fruſtra olim cecinit POETA. Teſtantur hoc quotquot ad clavum Rerum Publicarum ſedent. Teſtantur hoc & in noſtra Arte ſacra varii magnorum morborum eventus; Qui dum blandiuntur, jugulant: dum latent, occidunt; dum videntur remittere, intenduntur. Teſtem unicam hâc vice ſiſto FEBREM HECTICAM, quæ blandis ſuis nocumentis, quaſi per cuniculos agens, hominem tandem dat internecioni, viresq; corporis ſenſim ſenſimq; furatur, donec exanimie plane concidat cadaver. Naturam igitur hujus pro Themate Inaugurali mihi indagandam ſtatui. Conſcius equidem ſum meæ tenui-

tatis ſatis, quæ morbo graviſſimo enucleando non ſufficit, interim memet conſolor illo POETÆ

——— *in magnis & voluiſſe ſat eſt.*

Errores, quos omnibus hominibus valde eſſe familiares, confitemur, nec à me alienos puto, ſed hos tua B. L. eruditio partim emendabit, partim modeſtia tua excuſabit, cùm gaudeamus communi humanitatis privilegio. *VALE.*

Ἐν τῷ ὀνόματι θεοῦ τοῦ παντοκράτορος.

CAP. I.

Definitionem ὀνοματώδην tradens.

CUm in omni diſciplina *Verborum* prior; *Rerum* verò poſterior interpretatio fieri debeat & cognitio *Nominis* enucleationem atque inveſtigationem ante omnia præmittere, operæ precium ducimus, ne vocis ambiguitate in errorem deducamur. Nobis proinde, quò ad accuratiorem cognitionem liberior pateat aditus, incumbit præprimis *Hectices* exponere

(I.) *Ety*

(I.) *Etymologiam*, quæ derivatur à vocabulo græco ἕξις, & ſic πυρετὸς ὁ ἑκτικὸς hectica febris ex habitus firmitate nominata eſt, ut GAZA vertit ap. ALEX. APHROD. *teſte Lexico Græco Latino Baſil.* hac voce: ſc. quòd quaſi *habitum* induat; qui ægrè mobilis eſt è ſubjecto, & ita *hectica* etiam curatu difficillima eſt, GORRÆUS *definit. med. f.* 97. *b.* Vel juxta hunc ἑκτικὴ dicitur, quod in habitu corporis, quem ἕξιν appellant, tanquam in ſubjecto conſiſtat, & ex GALENO *l.* 1. *de de differ. febb. c.* 9. *p.* 325. idem confirmat FOESIUS *in œconom. Hippoc. f. m.* 218. *b.* Quamvis poſteriorem non tam bene admittere velit SENNERT. *de febb. l.* 3. *c.* 1. Hanc *febrim* quoque *Aethicam* nominat GALEOTTUS MARTIUS *l. de promiſcua doctrina c.* 29. ab ardore, αἴθων enim dicitur ardens, *flagrans*, ſed rectè rejicitur à ZAPHIO *diſputat. Inaugural. c.* I.

(II.) *Synonymiam* quod attinet, vulgò *Febris Symptomatica* vocatur, nonnullis *marcor*, *conſumptio partium ſolidarum*, *Tabida* febris, *intemperies calida & ſicca*, non autem complexio calida & ſicca, ut quidam autumant, aliâs ſequeretur, quòd *complexio biliosa* eſſet febris, quod falſum eſt, *Græcis* eſt πυρετὸς ἑκτικὸς, it. ἑκτικὴ, GARIOPONTUS *l.* 6. *prax. c.* 1. vocat conſuetudinariam German. die Darre / ein ſchwindſüchtig Fieber / das Außzehren / ſed omnia cum grano ſalis.

(III.) *Homonymiam* ſi ſpectes, invenies, quod accipiatur vel γενικῶς, generaliter & impropriè, vel εἰδικῶς, ſpecialiter. Hinc GORRÆUS *in definit. med. hac voce f. m.* 97. *b.* ait: Geminam habet ſignificationem; Una quidem dicitur, omnis febris ſolutu difficilis, ſive ſit pituitoſa, ſive melancholica, Oppoſita eſt τῇ σχετικῇ h. e. febri ſolutu facili. Ut enim

enim σχέσις qualitas eſt à ſubjecto facilè mobilis, ſic σχετικὴ & ἑκτικὴ ſibi invicem opponuntur, ut ſcribit GALEN. *l.* 8. *M. M.* Altera verò ſignificatione ſpeciatim magis dicitur, quæ & putridæ & diariæ oppoſita ſit.

CAP. II.

Definitionem ἐσιώδην cum ratione formali exhibet.

ABſolutâ *Nominis* inveſtigatione, ordo nunc poſtulat, ut rem ipſam aggrediamur, & videamus, quomodo Affectus noſter per definitionem explicandus veniat.

Variæ autem variorum Authorum nobis occurrunt Definitiones, vel ſaltem Deſcriptiones, BENEDICT. MATAMORUS Hiſpanus *tr. de febb.* ap. BRAVON. per calorem extraneum accenſum in corde eam definit. ZACUTUS *Tom.* 2. *l.* 4. *cap.* 27. per caliditatem p. n. accenſam in partibus ſolidis cordis. MERCATUS *Tom.* 2. *l.* 5. *tr. de eſſent. Hectic.* dicit, quòd ſit febris quædam facta, æqualis, & fixa; Nobis placet hanc addere definitionem:

Hectica eſt *Febris* in partibus corporis humani ab alienatis digeſtionum fermentis excitata, ſine intervallo affligens, (utut præcipuè tamen poſt paſtum ferocius) cum manifeſta partium corporis, maximè ſolidarum conſumptione. Nobiſcum ferè facit JOH. BEYER *diſp. Inaug.* §. 2. Leidæ 1669. Videlicet

Generis loco dico eſſe febrim, quo ſimul illi vindico omnia illa, quæ generatim de febre circumferuntur; Noluimus remotiora genera admittere, ubi alii poſuêre

intem-

intemperiem calidam morboſam, uti ZAPFIUS; alii fervorem, conf. ALEX. TRALLIAN. *l.* 12. *c.* 4.

Recte autem febribus continentibus accenſetur, idque ob duas rationes, (1.) cùm à principio ad finem usque hac in febri continens cordis contingat irritatio. (2.) Cùm & caloris mediocritate, & Symptomatum paucitate ſimilis ſit hæc Ephemeris; ſunt verba FRANC. PIENS *tr.* 2. *de febb. c.* 4. *p. m.* 45.

Addidi in partibus, ut *ſubjectum* innuerem, partes enim heîc generatim prout GALENUS *definit. l.* 1. *M. M. c.* 1. ſumo conf. BEYER *l. a.* §. 4. ab alienatis digeſtionum fermentis oriri dicitur, & ita cauſſam proximam confirmo. Sine intervallo; ut ab aliis multis diſtinguatur febribus, quæ intervalla agnoſcunt; ALEX. TRALLIAN. *l. VI. c.* 4. Cum manifeſta partium conſumptione; & ita inſignem affectum declaramus, de quibus ſingulis deinceps fuſius agemus.

CAP. III.

Τὸ ὑποκείμενον ſubjectum explicat.

QUemlibet morbum ſubjectum aliquod, cui inhæreat, & in quo ſuſtentetur, expoſtulare, eſt in propatulo, curatio enim tanquam finis ultimus minus feliciter ſuccedet, quando partis affectæ cognitionem non probè perſpectam habemus; Duplex autem nobis hic occurrit *ſubjectum*, nimirum,

(1.) AD-

(1.) ADÆQUATUM, quod ſunt partes corporis ſolidæ, ſecundum *veteres* ALEX. TRALLIAN. *l.* 12. *c.* 4. conf. GORRÆUM *defin. med. f.* 97. *b.* ejus habitum conſtituentes, vulgò ſpermaticæ dictæ, quas quidem, & meritò jam olim refutavit *Acutiſſ. Vir* C. HOFMANN. *tr. de partibus ſimilaribus, & in Inſtitt. Med.* & nuper ex longè meliore ratione CASPAR. BARTHOLIN. Thomæ filius, *Exerc. Miſcell. I. p.m.* 20. in quibus calor p. n. primariò in corde accenſus per arterias toti corpori, præprimis autem ſolidis communicetur partibus, quas ἑκτικὸς ὁ πυρετὸς ita occupet, ut quamvis à nulla cauſa foveri percipiatur, nihilominus tamen ſubſiſtere queat. Verum nos primò ſanguinem cum admiſtis humoribus & ſpiritibus, dein & reliquas corporis partes pro ſubjecto adæquato agnoſcimus.

(2.) PRINCIPALE eſt Cor παρὰ φύσιν incaleſcens, cum omnibus partibus, ſive *ſolidis*, quas propriè & per ſe hecticæ *ſubjectum* nominamus, & eſt hujus loci, ſive *humidis*, quatenus ſpiritus & humores ut & calidum innatum in illis contentum intemperie ſua afficiunt & turbant, aliquo modo & impropriè hecticæ *ſubjectum* vocari poſſunt, & ita mentem veterum propoſuimus; Paucis placet ſententia FRANCISC. PIENS *tr.* 2. *de febb. c.* 4. *p. m.* 46. qui ait: Revera totum corpus hujus febris ſubjectum eſt ſtatuendum; quia confirmata eſt, & altiores radices egit; imò ſi in ulla febri vitium in ſanguinea maſſa ſit, certè in *hectica* eſt colligendum.

CAP. IV

Cauſas inveſtigat.

CAP. IV.

Τότε ἐπιςάμεθα, ὅταν τὴν αἰτίαν εἰδῶμεν. Tunc demum ſcimus, quando *cauſam* cognoſcimus, *ait ſtagirites.* Cùm itaque ab hiſce tota curationis dependeat felicitas, & ſine qua *Medicus* facilè fallatur & fallat, non à meta nos aberraturos ſpero, cùm ordinis ratio ſic poſtulet, *affectus hujus* rimari.

CAUSAM IMMEDIATAM PROXIMAM, quæ à plerisque ſtatuitur, intemperies calida & ſicca, *in partibus ſolidis cordis primariò accenſa, & mediante ſanguinis circulatione, & ſpiritibus omnibus & ſingulis totius corporis humani partibus communicata*; Nos verò *verbis hiſce*: ab alienatis digeſtionum fermentis in definitione volumus ſententiam noſtram ſuper *cauſſa proxima* manifeſtare. Nimirum veluti illa, ſi ſ. n. ſe habeant, omnis boni ordinis & actionum integritatis ſanarum partium cauſſæ ſunt, ita ſi *p. n.* ſe habeant, totam microcoſmi *œconomiam* ſubvertunt, ſic ſaliva p. n. conſtituta fermentationem ventriculi nunc privativè nunc poſitivè pervertit aut ſufflaminat; imò ſemper hoc notabile vitium in hac febre concurrere ſtatuit *FR. DE LE BOE SYLVIUS l. 1. PRAX. c. 32. §. 2.* nec hæc ſolùm, ſed & inprimis *glandularum conglomeratarum* liquor peccat, ipſeque ſuccus pancreaticus & quidem viſciditate aucta non item acrimonia acida, vel auſteritate moleſta, quamvis hanc ſimul offenderit, gravis, *Id. Ib.* §. 5. *Bilem* ſimul quoque concurrere inertiorem quis mirabitur, *ait Id. Ib.*

Lympham quoque obtuſiorem *id. ib. FRANC. PIENS tr.* 2. *de febb. c.* 4. *p. m.* 51. *ait: Cauſſam proximam* hujus febris eſſe *continentem cordis irritationem*, à mala maſſæ ſanguineæ diatheſi, quæ in temperiem nimis ſalſam, acrem & corruptam vergit, adeoque *nutritioni* & æquali circulationi minus apta redditur, & *p.* 52. *fuſius deducit.*

CAUSAM MEDIATAM PROXIMIOREM omnium febrium THOMAS WILLISIUS in vitioſa & mala fermentatione, nec non in immodica ſanguinis effervescentia ponit, ergò dubio procul per hanc etiam hectices *cauſam* intellectam voluit, quamvis *expreſsè* non tradiderit; *PARACELSUS* accenſioni ſulphuris ſolidas cordis, totiusque machinæ partis nimis calefacientis attribuit; Alii particulis nitro-ſulphureis eam gigni & foveri credunt. His poſſunt ſuccedere *diuturnæ evacuationes, ſive per alvum fiant, ut in fluxibus colliquativis, ſive per ſudores, & alias vias; verba ſunt SENNERTI.*

CAUSÆ REMOTIORES NATURALES ſunt temperamentum calidum & ſiccum. *GALEN.* 1. *de diff. febr. c.* 9. Ætas juvenilis præ virili hoc morbo corripitur, quòd *ſanguis* tùm temporis *fervidior* ſit, præſertim à decimo octavo ad trigeſimum quintum annum conſtituti.

CAUSÆ SUPERNATURALES heîc etiam à quibusdam allegantur; ſic hiſtoriam de hectica à *diabolo* excitata habeat *MEYSSONERIUS l. de nov. & arcan. febr. doctrina* teſte ZAPFIO *diſput. inang. c.*4.

IN CAUSARUM NONNATURALIUM perluſtratione primo loco offendimus Aërem, quatenus corpus noſtrum

noſtrum vel ambit, vel inſpiratione attrahitur; Plurimæ enim teſtantur *celeberr. Practicor. obſervationes*, Aërem vitioſis inquinamentis vel miaſmatibus infectum, in corporibus, præſertim calida & ſicca præditis temperie ad hanc febrim procreandam ſatis aptum natum eſſe; ſic ab *arſenici ſublimati vapore* hecticam ſibi contraxiſſe fertur *TACHENIUS* in Hippocrat. Chim. *p. m.* 214. Qui verò præter Solem & Lunam, alios heîc pro cauſis allegant influxus ſtellarum, vel adſpectus, uti, vocant, e. g. *Saturnum* in ſignis igneis; Si ſol ſit debilis, ROLF. *de febb. c.* 38. illos plane ridemus.

CIBI parvi pravique ſucci, FR. SYLVIUS *l.* 1. *Prax. c.* 32. §. 3. it. glutinoſi diutius aſſumpti digeſtionem ventriculi difficulter exercendo, bilisque ſal volatile enervando. It. cibi nimis aromatiſati & ſale conditi ſuum etiam ἐπιβάλλον μέρος addere poſſunt, *ſanguinem* nimirum acriorem reddendo, & ſecundum WILLIS. *fermentationem* in corpore *præternaturalem* cauſando; It. ab *inedia* diuturniore FR. SYLVIUS *l.* 1. *Prax. c.* 32. §. 3. It. à *medicamentis* volatilitatem *ſpirituum & fermentorum* nimium figentibus *e. g.* Theriaca, v. FRIDER. HOFMANN. *in m. m. f. m.* 72. Sic *opiata* in genere ſpiritus condenſant teſte VERULAM. *in hiſtor. vit. & mort.* It. illa, quæ fermenta præcipuè *bilis* reddunt inertiora, ut ſpir. vin. immoderatus ingeſtus, it. *venena*; *conf.* FR. SYLVIUM *l.* 1. *prax. Cap.* X. §. 22. it. juſto fortiora *purgantia* & *diaphoretica* ſæpius intempeſtiveque adhibita, BEYER. *diſſ. inaug.* §. 19. Porrò

POTUS, imprimis *vini generoſioris*, item immodicus ſpir. vin. uſus, & omnium potulentorum *genera*, quæ maximam calefaciendi & ſiccandi vim habent, multum hîc præſtare poſſunt. *Plurimum etiam confert.*

MOTUS intra mediocritatis terminos ſeu limites no ſervatus, nimirum *celerior*, qui fit *vectione in curru citatiori* imprimis in *inconſuetis*, Exercitiis vehementioribus, labore que nimio, FR. SYLV. *l.* 1. *prax. c.* 32. §. 3. ſæpius *malo hui* anſam præbent; Utut autem *motus nimius*, quatenus *maxi mam in corpore ſpirituum ac humorum inſtituit agitationem*, *va de peccat*, *corpus ultrà modum concutiendo & conquaſſando*; *it etiam*

QUIES immodica idem efficere poteſt, quando *Exercitia* plane omittuntur, & *vita* nimis amatur *ſedentaria* opprimitur enim & obtunditur non ſolum *calidum innatum* ſed *coctio* etiam turbatur, *ſpiritus* & corporis *vires* diſſolvun tur; *Sic etiam ſe habet cum*

SOMNO & VIGILIA, quatenus vel in exceſſu vel de fectu peccant. Præcipuè *vigiliæ* nimium *protractæ*; FRANC SYLV. *l.* 1. *prax. c.* 32. §. 3.

ANIMI παθήματα, ſicco non prætereunda pede, *ex quo rum cenſu ſe ſiſtunt* mœror, curæ, & triſtitia, *calore* παρὰ φύσιν *diſponentes* & *augentes*, ſic à *mœrore* valenti & lon go habet FORESTUS *l.* 4. *obſervat.* 2. it. ab ira vehementiſſi ma FR. SYLV. *l.* 1. *prax. c.* 32. §. 3.

CAUSÆ PRÆTERNATURALES ſecundum plu rimos eſt *febris Ephemera* prægreſſa, quam non ſemel in *hecti cam* mutatam ſe vidiſſe propria ſua experientia teſtatur *celeber ſuo ævo* FOREST. *l.* 1. *de febb. obſerv. VI.* ubi *phalangarius* qui dam in crure abſceſſum habens *Chirurgi* alicujus opem im ploravit, qui poſtquam *ſecunda vice*, dum *primum vulnus* no ſatis amplum eſſet, inciſionem inſtitueret, ex intenſiſſimo quo *Phalangarius* iſte affligebatur dolore, incidit in *Ephem ram*, à qua quidem, laudati Authoris induſtria liberatus e ita ut non amplius *febricitare* videretur; *Chirurgus* autem po aliqu

aliquot dies reverſus, & periculum facere tentans ad ampliandum vulnus *cauſticum apponit medicamentum*, quô factô *æger* rurſus in *Diarrhœam* incidit, quæ ſtatim ad *hecticam* permutata eſt, ita ut tandem *viribus exhauſtis*, & paulatim toto corpore colliqueſcente *vitam* cum *morte* commutârit. Nemini autem mirum videatur, hæc ita eveniſſe, cùm *dolor intenſiſſimus*, & medicamentum *cauſticum* in corpore aliâs etiam *biliosſo* & *exſangui* facilè *ſpiritus* incendere, poſteà *ſolidas partes* invadere valuiſſent. Conf. FR. SYLV. *l. 1. prax. c.32. §.4.*

Ex TERTIANA hecticam *fieri poſſe*, teſtimonio ſuo comprobat RIVERIUS.

Ex QUARTANA Lotichius *l. 1. obſerv. f. m.* 11. ex *continuis intermittentibusque moroſioribus* aut vehementioribus *SYLVIUS l. a. §. 4.*

Per Pancreatis *intumeſcentiam* mortem in *Puella* annorum undecim, *hectica laborante* ſubſequutam eſſe *teſtatur PETR. PAWIUS obſerv. XIV.* quæ Thomæ Bartholini obſervationibus annexæ ſunt.

Ex febre ardente *GULDENKLEE in caſ. medic. l. 8. de febb. c. 23. FOREST. l. 4. obſ. 4.*

Ex febre peſtilente *MONTAN. conſ.* 41. *J. SCHENCK. l. 6. obſerv. RIVERIUS l. 17. c. 3.*

Ab ulcere pulmonum & ſcirrho lienis *Celeberr.* Dr. J. D. HORST: *Medicorum Princeps, Patronus* & *Suſceptor ex baptiſmate meus* æternum venerandus *obſervat. anat.* 8.

Ex Coli inteſtini inflammatione diuturna, ut & renum *ac* veſicæ ſimilibus affectibus *hecticam febrem ortam ſe vidiſſe teſtatur GALEN. l. de differ. febr. c. 9.* Quandoque

doque imò frequentiſſimè ortum conſequitur ſuum ex *viſcerum plerorumque*, maximè *pulmonum* inflammationibus, hasque *ſubſequentibus* apoſtematibus & ulceribus *FR. SYLVIUS l.1. prax. c.32. §.4.*

A catarrhis *ad ventriculum depluentibus POTER. Centur. 2. obſ.70.*

CAP. V.

Differentias perpendit.

GORRÆUS in defin. med. f. m. 97. b. *ait*: Hæc febris *cùm unicam habeat acceſſionem ab initio ad finem usque & mortem, dividitur tamen in tres ſpecies à varia diſpoſitione ſumptas. Prima eſt hectica tantum, in qua corpus cordis & cæteræ partes ſolidæ jam primum ſunt incenſæ; duratque hæc ſpecies quamdiu in corpore cordis & aliis partibus ſolidis humor ſubſtantificus & radicalis, terreas ipſius partes glutinans, adhuc multus ſupereſt, ipſum calorem, igneum nutriens, & fovens, quomodo oleum, cera, ſevum, & ſimiliter pinguia in ellychnio flammam alunt. Hæc cognitu difficillima eſt, curatu verò facillima. Altera extrema eſt* μαρασμώδης *dicta, quòd* ***maraſmum*** *calidum ſiccum habeat adjunctum: Sic autem dicitur cùm humor ille omninò abſumptus eſt, partesque omnes ſolidæ, non ſolùm corpus cordis, velut uſtæ ſunt, & verſæ in cinerem, ut putrefacta & uſta omnia, qualeque exuſtum eſt ellychnium, quod nullius olei affuſione non amplius ardet: Sic enim abſumpto humido ſubſtantifico, calor nativus extinguitur, nec poteſt inſtaurari. O[b] id hæc ut nullius viſum & tactum latere poteſt, ſic nunquam c[u]rationem recipit, & hanc à* ***maraſmo ſimplici***; *qui ſoli[us]*

ſicc

ſiccitatis exceſſu provenit, & compoſito frigido ſicco ſenibus familiari, & quibusdam etiam pueris hydrope, lumbricis, vel aliter atrophia ſine febre laborantibus ſeparat GAL. l. 1. de diff. febr. *qui tamen nomine* **maraſmi** *alterius compoſiti*, i. e. *calidi & ſicci hecticæ iſtam ſpeciem comprehendit Lib. de* **maraſmo**, *atque etiam aliquando* **maraſmum** *pro hectica* **maraſmode** *accipit, ut quàndoque* **maraſmi** *nomen minus latè pateat quàm lib. de* **maraſmo**. *Tertia hecticæ ſpecies eſt inter has media, nunc illi, nunc iſti propior, ut ſatis magnam latitudinem obtineat, uti etiam extremæ duæ. Majoris enim & minoris ratione omnes hæ tantum differunt; Cùm autem ſiccitas ſit triplex;* Una *ſanguinis penuria in propriis cujusque particulæ exilibus venis & arteriis:* Altera *ex abſumpta omninò humiditate propria in omnibus animalis partibus contenta; & roris modo ſparſa, ipſas nutriente, quæ ſolo alimento reſtauratur;* Tertia *ex ſolida ſimilarium partium ſubſtantia ſiccata*, hecticæ *tres ſpecies in his duabus poſtremis videntur eſſe, aut fortaſſe verius in ſolo humore ſubſtantifico & radicali ſive tertio.* Hactenus FORESTUS.

Sic multæ *hujus febris* reperiuntur diviſiones apud RIVER. *pag.* 503. quarum *primam* ex modo invaſionis *vocat*

Primariam, *à primo inſultu.* Illam autem, quæ *aliis febribus* ſuccedit, *nominat*

Secundariam; quæ dividitur in *ſimplicem* & *complicatam.* Porrò alia eſt vel *ſine*, vel *cum tabe*;

Sine tabe *dicitur illa*, quando rorida partium humiditas nondum abſumpta eſt, ſed demum veluti *ebullit* & *effervescit*; ſive ut GAL. *l.* 1. *de differ. febr. c.* 9. *habet*: Cum naturalis cordis temperies primum everti incipit.

Cum tabe, in qua *humiditas* jam dum *exſiccata* at-

que *abſumpta* eſt, ac tum *hectica* μαρασμώδης *nominatur*, non-dum autem μαρασμὸς, *qui eſt ultimus hecticæ terminus*, appel-lari poteſt, cùm magna adhuc ſit differentia inter *hecticam* μαρασμώδην, *&* *ipſum* μαρασμὸν; In *tali enim gradu* incurabilis cenſetur; licet in *hectica cum tabe* curatu quoque ſit dif-ficilis.

Habet m. *ſua tempora*; Quando enim *rorida efferveſcit humiditas* primum tempus & *hecticæ* principium à GALENO *vocatur*.

Augmentum *ſive ſecundum tempus*, ſi calor adipoſas & carnoſas depaſcitur partes. Quod ſi autem *calor* ulterius progrediatur & *partes fibroſas*, & *ſolidas* in ſpecie ſic dictas occupet,

Statum *ſive tertium tempus* adeſſe pronunciant AU-CTORES *vulgo*.

Declinationis autem *ſignum* (ſi aliter eſt *curabilis*) cùm *lethales morbi* declinatione careant, *ex eo* percipi poteſt, ſi *exſiccatio illa* ceſſet, & *partes* iterum *refici* ac *humectari* in-cipiant.

Notandum autem *probè*, cùm ſciamus, quòd *hecticæ febres æquali* gaudeant *temperie*, eas ratione *caloris* nulla *tem-pora* habere, ſed ſolùm ſecundum *modum ſiccitatis*, calor enim *non augetur*, ſed ſemper *æqualis* permanet, niſi *cibo ſumpto*.

CAP. VI.

Διάγνωσιν proponit.

Μόνος δ' ἂν, ὁ τῶν σημείων ἔμπειρος εἰκότως ἐπιχειρείη; *Solus qui ſignorum cognitionem habuerit, rite curationem aggr-* *dietu*

dietur, inquit COUS *lib. de medico in fin.* ut igitur *Divini ſenis* monitum obſervemus, neceſſe erit *affectus hujus ſigna* aggredi vel examinare, quæ ſunt vel *Diagnoſtica* vel *Prognoſtica.*

GORRÆUS *l. a. f. 98. a. inquit*: Signa triplicis hecticæ à GAL. tradita ſunt *l. 1. de differ. febrium, inter quæ maxima ſunt oculi cavi, ſqualor & ſiccitas totius corporis, ſed maximè frontis, collapſa tempora, venter inferior extenuatus, & præcordia verſus thoracem vehementer contracta, pulſus tenuis, durus, debilis, frequens, calor tangenti primum quidem nutis, ſed poſtea acer & rodens; nec tamen æger ſe febricitare ſentit, non quidem ob caloris exiguitatem, ut qui mordax ſit & medico moleſtus, ſed quia alteratio illa diutina & paulatim facta eſt, non autem affatim, quodque* hecticæ *intemperies omninò æqualis ſit; Habet & hoc* hectica *proprium,* quòd ſumpto ſemper alimento in ea *calor* augetur *& pulſus major & velocior fit, quamdiu Cor ab alimento humectatum, intemperatum minus eſt, ob idque robuſtius evaſit & ad motus magis expeditum, quod idem febris* hecticæ *maximum, indubitatum, & inſeparabile argumentum habetur.*

Diagnoſtica *vel* imminentem *aut* præſentem *paroxyſmum reſpiciunt.*

Imminentis *ſigna* ſunt *calor æqualis*, debilis propter ſubjectum ſiccum, & ſibi ſemper ſimilis, nullam moleſtiam inferens; (niſi moto vehementius corpore aut ventriculo cibis ſuffarcto) hinc fit ut ægri ſe febricitare vix ſentiant. quia calor in iſta febre eſt æqualis & hecticus, Urina *parum differt à naturali*, conf. HOFERUM HERCUL. *med. p. m. 295.*

Præſentis *ſigna ſunt Pulſus frequentior* (quia fluidior alimentorum pars citius ad inteſtina deſcendens ac bili oc-

currens in habitus ſimiles ex parte ſaltim diducta, & ad cor deducta, ibidemque amplius rarefacta eſt, *ita judicante* FR. SYLVIO *l.* 1. *prax. c.* 32. §.6.)

Pulſus *ſimul* parvus, debilis, *ac quodammodo* durus, SYLV. *l.*1. *prax. c.*32. §.1. Calor ægris *parum moleſtus* deprehenditur FR. SYLV. *l. a.*

Calor ille tamen una duabusve poſt aſſumptum alimentum horis tantillum exacerbatur & augetur, (*quòd fortè à ſalivæ vitio*, SYLVIUS *l.* 6. §. 2. *Si ſc. nimis glutinoſa*; rationem reddit *Id. Ib.*) iterumque paulò poſt ad priſtinam qualitatem redit, atque circa *arterias*, quàm cæteras *corporis partes* major ſentitur SYLV. *l. a.*

In facie rubor levis plerumque 2. *horis* poſt paſtum, à parte alimentorum fluidiore *ad cor rapta* ampliusque rarefacta & dein quaquaverſum propulſa. SYLVIUS *l. a.* §.6. PIENS *tr.* 2. *de febb. c.* 4. *p.m.* 54. *ſeq.*

Continua lentaque corporis *emaciatio*; SYLV. *l. c.* Hæc autem eſt à viſcoſitate nimia humorum omnium ipſiusque adeò *ſanguinis*; *Id. Ib.* §.6. hac ad extremum deducta, *febris* hæc vocatur maraſmodes, SYLV. *l. a.* §.1.

Appetitus *quoque minuitur* & tandem proſternitur propter viſcoſam omnium humorum *tenacitatem*, accedente quoque alimentorum *faſtidio*, SYLVIUS *l. a.* §.7.

Labefactatur quoque *alimentorum fermentatio*, partium utilium ab inutilibus *ſecretio*, *ſanguificatio*, ſpirituum *animalium* generatio *&c.* unde augetur in dies *bilis*, ſalivæ, ſucci pancreatici & lymphæ *glutinoſitas* & inertia, redditurque ſic paulatim *malum gravius*, & tandem *incurabile*, FR. SYLV. *l.* 1. *prax. c.* 32. §.7.

Sæp

Sæpe cum *aliis morbis* complicatur indeque vis unita fortior ad *ſanitatem deſtruendam* e. g.

Cum febre putrida *apud* CLAUDIN. *Conſ.* 27. THEODOS. *Epiſt.* 35. *&* MONTAN. *Conſ.* 41. ANGEL. VICTOR. *conſult.* 41.

Cum quartana continua FORESTUS *l.* 4. *obſ.* 9.

Cum tuſſi LOTICH. *l.* 1. *obſ.*

Cum phthiſi BRENDEL. *conſ.* 61. LOTICH. *l.* 1. *obſ. f.* 7. *&* 15.

Cum atrophia LOTICH. *l. a.*

Cum marcore *inſigni* POTER. *Cent.* 2. *obſ.* 6. & FOREST. *l.* 4. *obſ.* 9.

Cum arthritide, hydrope, *&* ulcere perforante *veſicam ap.* J. SCHENK. *l.* 6. *obſ.*

CAP. VII.

Πρόγνωσιν deducit.

HIPPOCRATES in *principio* ſtatim L. *prænotionum* inquit: Τὸν ἰητρὸν δοκέει μοι ἄριστον εἶναι, πρόνοιαν ἐπιτηδεύειν. *Medicum*, arbitror, *qui providentia utitur, optimum eſſe.*

Signa autem prognoſtica, ex quibus eventus & terminatio morbi cognoſcitur, ſunt vel *Salutis* & *Mortis*, vel *Longitudinis* & *Brevitatis*, ut & *modi eventus*. Quod concernit

Signa Salutem *&* Mortem *indicantia*, deſumuntur illa ex diverſis *hecticæ* gradibus, cùm in *primo gradu* ſit facilis *curatu*, *cognitu* verò difficilis: In *ſecundo gradu*, qui

cognoſcitur ex evidente corporis *extenuatione*, eſt quidem *facilior* cognitu, curatu v. *difficilior*; In *conſummata* autem hectica omnis reconvaleſcentiæ ſpes *ferè* decidit, cum humidum radicale, *vulgò dictum*, jam dum abſumptum atque exſiccatum ſtatuatur, *partesque abſumptæ* amplius refici vix poſſint, ὁ μὲν ἑκτικὸς ὐ πάνυ δυσίατ☉, ὁ δὲ περιφρυγὴς ἀνίατ☉, *inquit* TRALLIAN. *l. 12. c. 4. p. m.* 713. *h. e. Hectica quidem non adeò difficilem curationem recipit, torrida autem ac marcida nullam.*

Prædicimus *itaque*, Hecticam, quatenus *ſimplicem*, & putridæ, vel *tabi* non complicatam, nec aliis *ſymptomatibus* conjunctam eſſe *ſalutarem*, ſi in *principio* Medicus eam recte cognoverit: *ratione*

Longitudinis & Brevitatis affectus noſter eſt *morbus chronicus*, non enim ſubitò *morborum* percurrit *tempora*, quemadmodum *acuti*, ſed *ſenſim* & ſine ſenſu quaſi molli incedens pede terminatur, καὶ μηδὲ παρακμὴν ἔχουσα, *& nullam declinationem habens*, juxta TRALLIAN. *l.* 12. *c.* 4.

Demum quod à nobis *præcognoſci* oportet, eſt *modus Eventus*; Subitò autem non *ſolvitur*, nec ſubitò moritur, niſi graviſſima ſuperveniant *Symptomata*, ſed vel *paulatim* ad ſalutem, ut in *hectica ſimplici*, morbi fit converſio, vel *paulatim* ad mortem fit mutatio, ut in Maraſmo accidere ſolet; cujus ſigna ſatis ſunt evidentia, *cutis* enim vix *oſſibus* hæret & pedes pelle quaſi obducti apparent; Succeditque *facies Hippocratica* dicta, quia HIPPOCR. in moribundis ſatis docte depinxit *paulo poſt princip. l. de prænot.*

Mutatio *morbi* in alium morbum ambigit etiam inter *ſalutem & mortem.*

CAP. VI

CAP. VIII.

Medendi Methodum, indicationumque fontes rimatur.

NOn ſufficit *naturam* atque *eſſentiam* morbi tantum perluſtrâſſe, ſed requiritur etiam, ut *auxilia* & *remedia* per ἐνδείξεις mediante *methodo* medendi nobis manifeſtata adminiſtremus.

Differentiæ autem indicationis *hactenus* potiores ſunt: Curatoria, præſervatoria & vitalis.

Θεραπευτική *ſive* Curatoria juxta præceptæ *methodi* regulas præcipit, ut præprimis *intemperiem calidam & ſiccam* humectantibus & refrigerantibus expugnemus, & hæc eſt, quæ *morbum ipſum* reſpicit; Quæ *cauſam morbi*, dicitur

Προφυλακτική præſervatoria, & conſiſtit in *cauſarum morbificarum*, ſymptomatumque *remotione*, & convenienti diæta; Negat *autem* GALEN. *l.* 11. *meth. med. c.* 2. quòd *febris* hæc præcaveri & præſervari poſſit, *quando dicit*: Hecticam tantum habere *curationem*, non *præſervationem*, cùm *curatio* ſoli morbo; *præſervatio* autem cauſæ morbificæ debeatur.

Exiſtimamus *autem* præſervationem non ita ſtrictè ſumptam facilè admitti poſſe, ſi pro *cauſæ* hecticam *antecedentis* ablatione accipiatur. Sui *quoque* remotionem *per* convenientia *remedia* indicant

Symptomata, quatenus *res ſunt p. n.* Non poſtremo *etiam* collocanda eſt loco

Ἔνδειξις ζωτική indicatio vitalis, prout loquitur GAL. 9. *M. M. c.* 3. prima omnium indicatio eſt, quæ à *viribus* ſumitur

mitur; Illa enim ſuadet *virium*, cùm *proſtratarum*, tum *conſervandarum* conſilia, per medicamenta & alimenta in tempore adhibenda, indicat & *analeptica* & confortativa *vulgò dicta.*

Materia *autem* auxiliorum & remediorum ex *triplici* deſumitur *fonte*;

(I.) Ex fonte χειρȣργικῷ *ſe ſiſtit* V. S. generoſum aliâs *præſidium*, ad quod tanquam ad Sacram Anchoram confugiunt; Verùm cùm nec τȣ̃ αἵματος πλῆθος, neque etiam *conſuetæ alicujus evacuationis ſuppreſſio*, aliaque V. S. indicantia adſint, non conſultum fore cenſeo, eandem in *hectica vera & confirmata* exercere; Quamvis enim tales *ſanguinis evacuationes* æſtum *febrilis caloris* nonnihil contemperare poſſint, plura tamen adſunt *contraindicantia*, ut *vires debiles*, *&c.* Quare *recte* monet PIENS *tr.* 2. *de febb. c.* 4. *p. m.* 58. hîc diſtinctim reſpondendum eſſe, affertque *exemplum* feliciter adminiſtratæ venæſectionis *in femella quadam ap.* RIVER. *Cent.* 2. *obſ.* 22.

Putridam *autem* cum *hectica complicatam* tollendam eſſe V. S. & *purgatione*, nec non remediis *aperientibus* & putredinem inhibentibus RIVERIUS *p.* 504. præcipit, quod autem in *confirmata* nequaquam tentandum eſſe reor, cùm in illa *magnorum remediorum uſus* ſemper lethalem habeat eventum, *prout adhortatur nos* FOREST. *l.* 4. *obſ.* VI. *dicens*: *Nobili Matronæ Delphis ex hectica decumbenti, cùm vena ſecta eſſet per Empiricum, paulo poſt obiit*; Idem etiam accidit *Laico cuidam Carthuſiano*, cui purgationem laudatus *Author* interdixerat, cùm autem ab alio *circumforaneo* ſequenti die *pillulam unam ex præcipitato* ſumpſiſſet, eodem die & hic extinctus eſt.

(II.) *Ex fonte* Φαρμακευτικῷ Lenientia valde commendantur, imprimis ſi *alvus* ſit adſtricta, & ſuô non fungatur officio,

A Fortioribus *autem* nimirum **antimoniatis** *&* **ſcammoniatis** *abſtinere*, aut illa ſaltim *cautiſſimè tractare* prudentis ſerit Medici;

Lenientia ἐκκοπρωτικὰ *dicta*, magis humectent quàm ſiccent, *cujus generis ſunt* Decoct. prunor. Sirup. roſar. ſolut. extract. rhabarb. ad ℈ß. vel ℈j. vel ʒß.

Ἐμετικὰ non uſurpanda, cùm *iſtiusmodi morbi naturæ* ſint adverſiſſima.

Conveniunt *etiam ea*, quæ ſimul humectant & refrigerant, qualia ex *violis*, *borragin. bugloſ. nymph. roſ. endiv. cichor. papav.* & *amygdal.* parantur. Item quæ *ſale volatili* aromatico turgent e. g. *Abſynthium*, *acorus*, *centaur. min. rad. ari*, *agrimon. card. bened. gentian. cichor. helen.* hæc enim ſtomachi digeſtionem multum adjuvant, bilaris fermenti defectum reſarciunt, & humores viſcidos egregiè attenuant, atque acres paſſim contemperant. *teſte* BEYERO *diſp. Inaugural.* §. 27.

Ex *mineralibus* laudat *Sal Succini*, *corall. terram foliatam Tartari*, *Sal Ammoniac.* ejusque *Spirit.* præcipuè cum limatur. martis paratum, *ſpiritum ſalis dulcem.*

Ex *animalibus Sal* C. C. & *fixum* cum ſpirit. ſalis paratum, & *volatile*; it. *urinæ* & *ſanguinis humani*, ut & *viperarum ſalia volatilia* ſic D. REHFELD *paravit* liquorem *antihecticum* ex *ſale volatili è ſanguin. human.* puriſſ. ʒj. cum ſpir. tartar. de conſerv. roſar. aliquoties cohobato ℥j. Doſ. ʒß. ʒj. *ap.* SACHS. *in* Ampelograph. *l.* 2. *ſ.* 9. *c.* 4. *p. m.* 265. It. *Mercurius* rubeus dulcis *Elixir* proprietat. balſamum CHRIST. LANGII; *Arcanum* duplicat: *Decoct.* lignor. *Butyrum* Margaritarum FABRI, *Antihectic.* POTER *Manna* ſatura: ſ. ſimpl. ſ. nitrat. Dulcedo *aluminis ap.* POTER. *pharmacop. ſpag. l.* 2. *c.* 9. *&* SACHSIO in *Gammarolog. p. m.* 694.

Laudatur

Laudatur *etiam à* SENNERTO Juleb. & Sirup. *roſar. violar.* ſirup. *borragin. nymphaæ*, ut & *ſemina* quat. frigid. major. *è quibus* Emulſiones, Morſuli *& alia* medicamenta conſici poſſunt.

Alterantia *quoque humectandi & refrigerandi* vim habentia multum hic conducunt, cùm *ſerum* nimio calore abſumptum reſtaurent, atque *humorum* attemperent *acrimoniam* cujus generis *apud* RIVER. *p.* 505. *in fin.* habetur Julebus *in hunc modum paratus*

℞ *Aq.* endiv.
lactuc.
acetoſ. *aa* ℥jv.
Sirup. violac.
nymph.
pom. *an.* ℥j.

M. *pro* tribus doſibus *bis in die* ſumendis, & per plures dies continuandis.

Electuaria *etiam commendat* SENNERT. *l.* 3. *de hecticæs curatione c.* 3.

Emulſiones *ex* 4. *ſem. frig. major. paratæ* non ſolùm ob gratum ſaporem, ſed & ad *refrigerandum* & *humectandum* proficuæ plurimum conferunt.

℞ Amygd. d. *non rancid.* ℥jß.
nucl. pin. ℥ß.
piſtac. ʒiij.
papav. alb. ʒß.
ſem. 4. frig. major *an.* ʒj.
F. *l. a.* cum Aq. *borrag.* l. *endiv.*

Emulſio, *quæ edulc.* rot. man. xſti perlat.
q. ſ. D. in fictili
S. Kühl- und Stärck-Milch.

Prob

Probè *autem* obſervandum, ſemper tutiorem eſſe *humectantium* quàm *refrigerantium* uſum, & utilius fore *ſenſim*, quàm *ſubitò* refrigerare, ne calor tùm temporis debilis nimium *refrigerantibus* obruatur.

Quando *autem* intenſius *refrigerare* eſt animus, *unicuique doſi* Julepi *vel* emulſionis *&c.* addi poſſunt Salis prunell. ℈ij. *vel* ʒj.

Viſcerum corroborationi *etiam ſimul incumbendum eſt*, quod fieri poteſt conſerv. *fl. borrag. bugloſſ. & violar.* raſ. *ebor.* oſſ. de *cord. cerv. margaritar. & corall. præparat.*

In genere *in hoc affectu* propter humorum omnium *tenacitatem* atque *glutinoſitatem* noxiam uſurpanda erunt *medicamenta*, quæ *blande* ipſam emendent ac corrigant, omnia *nempe* aromatica benigniora, *&* ſalia volatilia oleoſa, *quippe quæ* viſcoſum omne incidunt, alterant, & in ſtatum naturalem deducunt, *eſt conſil.* FR. *de le boe* SYLVII, *prax. l.* 1. *c.* 32. §. 30.

Clyſteres *quoque nutrientes* in ſumma corporis *extenuatione* ab aliis frequenter injiciuntur, & parantur *ex* juſc. *pull.* vel *cap. vervec.* cum *ſach.* & *vitell. ovor.* Eos commendant EBNZOHAR, ORIBAS. CELSUS, *teſte* TULPIO, *it.* J. ALB. SEBIZIUS *diſp. de jecor.* ſed meritò hunc *nutriendi modum* HELMONT. *vocat* argumentum ſtupiditatis non tolerandæ *ap.* ROLFINC. Rejiciunt quoque SWALVE *in Ventric. querel. p.* 75. aliique.

Inter *ſimplicia* occurrunt varia *lactis* genera, ut *caprin. aſinin.* & præprimis *humanum*, quod reliquis præferendum eſſe *cenſet* GALEN. *l.* 7. *meth. c.* 6. cùm noſtræ naturæ ſit magis familiare & conveniens. Item lac *bubulum*, ſicut hodiè mos invaluit, idque adhuc calens aſſumptum; FR. SYLV. *l.* 1. *prax. c.* 32. *l.* 23. Lac *tamen* in Hectica *non commendat* PIENS *de Febb. tr.* 2. *c.* 4. *p. m.* 60; niſi *phthiſis* adſit, ac febris

ipſa minus urgeat, abſitque *hypochondriorum* tenſio ac *capitis* dolor *vid.* HIPPOCRAT. *V. aphor.* 64. *&* *ad h. l.* GAL. *&* JACOB. HOLLER.

Laudatur *etiam* axung. *anat.* & *gallin. alb. cancr. fluviatil.* Caro *Alaudarum*, *capon. perdic.* & *teſtudin.* lap. *Bezoar*, ova *ſorbil. ranæ*,

Mineralia proferunt nobis *Bolum armenam* lap. *pretioſos*, *margarit. Sulphur.*

Ex compoſitorum Medicamentorum cenſu *uſurpanda veniunt* Aqu. *Antihect.* POTERII *&* SCHROED. cancror. *fluviatil. capon.* & *mirabilis* FERDINAND. *in obſervationibus hiſtor.* 21. quam JONSTONUS in Syntagmate univerſ. medicin. practic. deſcribit. ℞. *Sanguin.* porcin. juven. & adult. ℔ij. Terebinth. *venet.* ℔j. *liquirit. raſ.* ℔ß. *paſſular. minor.* manip. v. *ficus ping: n. xij.* rad. *ireos*, ℥iij. *pinear. mundatar.* manip. iij, fol. *tabac.* m. ij, *mic. pan.* ℔ß. Deſtill. in *vaſ. vitreo*; Doſis *hujus aquæ* ſint ℥ij. cum ſaccharo.

Convenit *etiam* Decoct. *capon. gall. veter. limacum*, conf. RIVERIUM *Cent.* 4, *obſ.* 92. It. juſcula *conſummata* vulgò dicta, *vid.* SENNERT. *Inſtit. Med. l. v. p.* 3. *ſ.* 3. *c.* 2. *&* ROSENHART. *diſp. inaug.* de Atrophia §. 33. Altdorff. 1661. *ut &* teſtud. *nemoral.* Sirup. *antihect.* RIVER. Aureus JOH. ANGLICI *apud* SENNERT. Sirup. *borrag: bugloſſ.* Pulv. *unicorn. foſſil.* *haly compoſ.* ſpecif. ſtomach. POTER. Tinctura *corall. magiſter. perlar.* Sacchar. *Saturn. cand. alb. rubr. & violac. penid.* & *roſat.* Lac *perlarum*, *Corall.* Morſul. *pectoral. ap.* SCHROED. deſcriptæ; Balnea *aquæ dulcis* quoque recte commendantur conf. GREGOR. HORST. *med. quæſt. pract. dec.* 1. *quæſt.* 1. *& SENNERT. de Febb. l.* 3. *c.* 3. *p. m.* 668. ex *GALEN. X. M. M.* 10. Imò balneum *lactis*, aut *olei olivar.* commendat quoque *JONSTONUS* idea med. pract. *l.* 7. *c.* 4. Sed *de hectica* ab intempeſtivo balnei uſu lege ZACUT. Luſitan. *l.* 4. *hiſtor.* 41.

Si

Si inflammationes, abſceſſus, ulcera aut fiſtulas ſequatur, vel iis ſocia ſit hectica, non curabitur, niſi uſurpaveris medicamenta *potenter* mundantia *dein* conſolidantia, *e. g.* balſ. *ſulph. aniſat.* vel aliàs quivis *aromaticus*, ut & omnia ex *antimon.* parata medicamenta fixiora, nec proinde *Vomitum*, ſedesque promoventia. *It.* decocta *vulneraria SYLVIUS prax.* l. 1. *c.* 32. *§.* 29.

CAP. IX.

Diætam præſcribit.

DIætam eſſe ἅπαζαν τῆς νόσȣ τὴν ἐπιμέλειαν *confirmat HIPPOCR. de victus ratione in acutis*; Conſiſtit *enim* in legitimo ſex rerum nonnaturalium moderamine, & plus interdum, præſertim in *Chronicis affectibus* præſtare ſolet, quàm ipſa *medicamenta*, reducitur autem vulgò *ad triplicem ordinem*, *utpote*

(I.) Vitalem, *cujus reſpectu* attentendus AER: Eligatur *humidus* & *ad frigiditatem inclinans*, nocet *calidus & ſiccus*; ideò æſtivo tempore, aëre exiſtente calidiori, in loco ſubterraneo *ægrum* degere præcipit *GALEN.* 10. *meth. c.* 8. Aëris *caliditas* etiam alteranda eſt *in Conclavi* adſperſione aquarum de vaſe in vas transfuſarum, vel *herbis refrigerantibus* hinc inde conjectis; *Paucis* AER ſit maximè *temperatus* vel *natura* vel *arte*, ait *FRANC. SYLVIUS l.* 1. *prax. c.* 32. *§.* 22.

(II.) *In* naturali magna *etiam* CIBI habenda eſt *ratio*, qui ſit εὔχυμος καὶ εὔπεπτος, facilis coctionis & laudabilis ſucci, quales ſunt *ptiſana*, vel ejus *cremor*, *pulli gallinacei*, ova *recentia*, caro *juniorum animalium*, *hædina*, *vitulina*, &c. ut & piſces *bonæ notæ*, imprimis *ſaxatiles*. Panis triticeus *ritè fermentatus* & coctus, *SYLV. l. a.* §. 23. *TACHENIUS* laudat *cymas braſſicæ* aqua bulliente tabefactas, ſucco *aurantiorum*,

oleo

oleo & modico ſale conditas. Alii *pultes*, *panes Martios*. Cibos *verò* viſcoſos & ſolidos, uti ſunt *cancri fluviatil.* ranæ *aquaticæ*, *limaces*, *teſtudines nemorales*, pedes *vitulini*, partes *animalium* ſolidiores, de quibus magnæ laudes *ap.* Auctores *minus rectè* conducere heic ſcribit PIENS *tr.* 2. *de Febb. c.* 4. *p.m.* 59. rationesque ibidem ſubnectit, *quas vide.*

POTUS parari poteſt *ex* decocto *hordei*, vel *ſero lactis caprin.* vinum nullo modo concedendum, niſi in ſumma *ventriculi imbecillitate*, aut in aſſuetis, & tunc *vinum aquoſum* & valde dilutum porrigi poteſt, *SYLV. l. c.* §. 23. *& PIENS tr.* 2. *de Febb. c.* 4. *p. m.* 62. Vinum vinoſum, cùm ſit *temperatum*, inter omnia *reficientia* præſtantiſſimum conſuetis cenſetur *à FELIC. PLATERO l. de hect. curatione*; Cereviſia mediocris *ac* fermentata *SYLVIUS l. a.* §. 23. *VENUS cane* pejus & *angue* fugiatur.

In animali (III.) nobis occurrit *SOMNUS & VIGILIA*, ille nec *longior*, nec *brevior* ſit. *Longior* enim viſcerum *calorem* auget, quamvis *longiorem* concedat, imò & Emulſionibus procurandum *ſuadeat PIENS l. a. brevior* corpus magis exſiccat.

MOTUS NIMIUS vitandus; ſi autem *vires* ferant *levi* aliquod *exercitium* ante cibum aſſumendum non inidoneum eſſe poteſt, vel ejus loco *frictiones molles*, non multæ inſtitui poſſunt. *QUIES* ſit *moderata*. *ALVUS* ſi *ſegnior* fuerit leviter *ſtimulantibus* irritari poteſt. Cæteræ excretiones omnes vitentur, quales ſunt *ſanguinis*, *ſeminis*, *lactis effuſiones omnes SYLV. l. a.* §. 27.

Denique cuncta *ANIMI* παθήματα intra limites ſerventur. Fugiantur vehementes *animi commotiones* atque *perturbationes* ex *ira*, *triſtitia*, & *mœrore* profectæ, & videatur quomodo *animus* in hilaritate *&* tranquillitate ſervandus.

F I N I S.